ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissimo, clarissimoq. viro
Constantino Hugenio, Zulechemi Domino,
C. Barlaeus S. P. D.

Aequo animo, mi Hugeni, ferenda sunt fulmina ista, aut potius fulgetra, quae in nostrum caput iaculatus fuit gravissimus Senator. Ferenda sunt, inquam,

Stantibus à tremulo, fortibus à victo,

ut tu canis μάλα λιγέως. Senum ictus tardiores sunt, sed certiores. Nos Daretes sumus. ille Entellus est. quo isti eventu pugnaverint, apud Maronem videre est. Nolo ferire ego, ut feriar. Nos, dum impetu rem gerimus, consilio & senili prudentia eludimur. Habent occultos feriendi modos decrepiti mirmillones. Metuo mihi à dentibus exercitatis et eruditis. Nec enim senes omnes edentuli sunt. Verba illis et verbera dare, difficile est. Sunt edaces, et cum irascuntur, dicaces. Maxillae illis pro baculo sunt. Ita Graeci aiunt: ἀνδρὸς γέροντος αἱ γνάθοι βακτηρία. Silentij & patientiae tutum praemium. Non valde me offendit suo Epigrammate. Ideo contentus fui leviter decoxisse bilem. Si te laedit magis, per me licet, ut tibi vapulet magis. Tu feri inclementius, sed tuo periculo. Minore ~~periculo~~ discrimine ad bella instigamus alios, quam pugnamus ipsi. Suave mari in magno &c. Quid si vindictae immemores mittamus Faunos, Satyros et Satyras! et pacatis animis gratulemur

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 90
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1097

optimo Heri Legati honorem, aut Propemptico abeuntem prosequamur? In hoc totus inclino. Non bellaturio. Ista iam Gallorum est Sparta. De Epigrammatibus, quae in Parentis tui effigiem scripsisti, quid dicam? Veneris sandalia sunt. & Lineae Apelleae. praesertim duo priora. Vale cordatissime, et amplissimo Heroëdo meis verbis Legati provinciam gratulare. Amstelod. XXIV Mart. CIↃIↃCXXXV.

[signature]

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 90
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1097

o.
lus,
ritim
ntiam

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 90
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1097

Aen mijn Heer
mijn Heer Constantinus
Huijgens, Heere van Zulichem
Secretaris van sijn Ex^tie
woonende in de Houtstraet

Hage

port

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 90
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1097